



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE MEMBRIS ECCLE-||SIAE MILITANTIS,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XV. Soluuntur obiectiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53880)

ptismo: *Ius habet, inquit, dandi Baptismum summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri, & Diaconi, sed non sine Episcopi facultate.*

Quantum ad TERTIVM, quod Episcoporum auctoritas non sit in cœtu Presbyterorum, quasi Consul in senatu, sed ut Principis in Concilio Consiliariorum sibi subiectorum, primùm colligitur ex testimoniis iam citatis B. Pauli, in epistola ad Timotheum, Clementis, Irenæi, Tertulliani, deinde ex Conciliis. omnia siquidem Concilia, tum generalia, tum provincialia, etiam antiquissima, quorum meminit Eusebius libro 5. histor. cap. 23. & 25. à solis Episcopis celebrata sunt.

Constat autem in Conciliis maximè exerceri iurisdictionem, cum leges in eis ponantur, & pœnæ præuaricatoribus decernantur: Item ex eo, quod multis in locis legimus, Presbyteros ab Episcopis excommunicatos, nusquam autem Episcopos à Presbyteris. Vide Concilium II. Carthaginense, can. 8. & 9. Deniq; ex eo, quod soli Episcopi soliû, siue thronum habent in Ecclesia, quod est potestatis indicium, unde & imperare Principum more dicuntur à Patribus. Vide Chryostomum in libro de sacerdotio, Ambrosium in libro de dignitate sacerdotali, & Gregorium Nazianzenum in oratione ad Principem irascentem, & populum timore percussum. Sed iam obiectiones diluamus.

## CAPVT XV.

### *Soluntur obiectiones.*

**P**RIMO loco obiiciunt testimonium B. Pauli, ex quo iidem videntur esse Episcopi & Presbyteri, Philip. 1. *Paulus & Timotheus seruis Iesu Christi, omnibus sanctis, qui sunt Philippi, cum Episcopis & Diaconibus.* Certè hoc loco Presbyteri dicuntur Episcopi; non enim in vna vrbe multi fuissent Episcopi, si Episcopi nomen summum aliquem Sacerdotem significaret: Deinde quare non dixit Paulus, cum Episcopo, Presbyteris, & Diaconibus, si Presbyteri ab Episcopis eo tempore distinguebantur?

RESPON-

RESPONDEO: Ambrosij commentarius non refert illud, cum Episcopis & Diaconibus, ad eos quibus scribitur, sed ad eos qui scribunt, ita ut Episcopi hoc loco dicantur Paulus & Timotheus, & hic sit sensus: *Paulus & Timotheus serui Iesu Christi, omnibus sanctis, qui sunt Philippis, cum Episcopis*, id est, cum Paulo & Timotheo, & eorū Diaconibus, gratia, vobis, & pax, &c. Sed nimis dura expositio videtur.

EPIPHANIVS in libro de hæresibus, hæresi septuagesima quinta, dicit Paulum ita scribere solitum, quod eo tempore ob ministrorum penuriam multis in locis non essent Presbyteri vlli, sed Episcopi soli cum Diaconibus: Possunt enim Episcopi etiam Presbyterorum officio fungi. At hæc Epiphaniij explicatio tum haberet locum, si Paulus diceret, cum Episcopo & Diaconibus, aut si non ad vnam ciuitatem, sed ad multas simul scriberet: Sed cum ipse ad vnam urbem Philippensem scribat, & dicat se scribere ad Episcopos & Diaconos; quomodo, quæso, illa explicatio locum habere potest? Si enim in vna vrbe multi Episcopi esse poterant, quantum facilius vnus Episcopus, & aliquot Presbyteri?

THEODORETVS in commentario huius loci, & fusiùs in cap. 3 primæ ad Timotheum scribit, Apostolorū tempore veros Episcopos, non Episcopos, sed Apostolos dici solitos; Presbyteros autem Episcopi nomine tunc appellari consueuisse. Nam ad Romanos 16. Paulus Andronicum Apostolum vocat, & Philip. 2. Epaphroditum Apostolum Philippensium appellat, qui videlicet Episcopi erant; postea tamen omisso Apostoli nomine, Episcopos solū Episcopos, Presbyteros autem solū Presbyteros appellari cœpisse. Quæ observatio Theodoretū si vera sit, non solū obiectioni desumptæ ex hoc loco, sed etiam ex omnibus aliis locis satisfacit; semper enim dicere poterimus, Paulum nomine Episcoporum Presbyteros accepisse.

Facilior est S. Ioannis CHRYSOSTOMI & aliorum multorum commentarius, qui docent, Apostolorum tempore nomina illa, Episcopus & Presbyter, communia fuisse omnibus Sacerdotibus, tam maioribus, quos nunc Episcopos dicimus, quàm minoribus, quos Presbyteros appellamus, licet res ipsæ & potestates distinctæ essent. Itaque Paulum no-

mine Episcoporum complexum esse omnes Sacerdotes, ut hic sit sensus: *Paulus & Timotheus serui Iesu Christi, omnibus sanctis, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconibus, id est, cum Sacerdotibus, & eorum Ministris?*

Adde, quod videtur Paulus uniuersum Clerum salutare voluisse, sed ne cogeretur singulos ordines numerare, generatim id fecit; omnes enim ordines ad duo primaria genera reuocantur, ad Sacerdotes, & Ministros, quorum illud subdividitur in duas species Analogas, in summos Sacerdotes, & simplices Sacerdotes: Istud verò in sex alias species, in Diaconos, Subdiaconos, Acolutos, Lectores, Exorcistas, & Otiarios. Quamuis autem nunc nomen Episcopi tantum principali analogato, id est, summo Sacerdoti, tribui soleat, & nomen Diaconi, tantum principali Ministro; tamen conuenit suo modo nomen Episcopi minoribus etiam Sacerdotibus; nam & illi superintendunt, & regunt populum saltem in foro conscientiae, & ex delegatione Episcopi, & nomen Diaconi conuenit suo modo ordinibus etiam inferioribus, cum omnes ministrent Sacerdoti.

2. ALTERA obiectio sumitur ex capite primo epistolae ad Titum, ubi sic Apostolus loquitur: *Huius rei gratia reliqui te Crete, ut constituas per ciuitates Presbyteros, sicut ego disposui tibi.* Et paulò infra: *Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse, &c.* quo loco videmus Presbyteros Episcopos esse. Sed eadem adhiberi potest responsio, quae ad locum superiorem adhibita est; nomina enim eo tempore communia erant.

3. TERTIA obiectio sumitur ex 3. cap. prioris epistolae ad Timotheum, ubi B. Paulus posteaquam praecepta quaedam Episcopis dederat, continuò Presbyteris omissis transit ad Diaconos; quare videtur pro iisdem habuisse Episcopos, & Presbyteros. RESPONDEO, B. Paulum generatim instruere voluisse Clerum uniuersum, ac propterea sub nomine Episcoporum comprehendisse etiam Presbyteros, sub nomine Diaconorum omnes inferiores Ministros; eadem enim praecepta omnibus conueniebant.

4. QUARTA obiectio ex capite 4. prioris ad Timotheum, ubi Paulus ait: *Noli negligere gratiam Dei, quae in te est, quae data est tibi per impositionem manuum Presbyterij.* Ex quo loco

loco **KEMNITIUS** affirmat, S. Hieronymum demonstrasse, posse Episcopum à Presbyteris ordinari: proinde nihil interesse inter Episcopum & Presbyterum. sed impudenter mentitur Kemnitijs. Nam S. Hieronymus in epistola ad Euagrium (quam Kemnitijs citat) disertis verbis affirmat, Presbyteros ordinare non posse: *Quid facit, inquit, Episcopus, excepta ordinatione, quod non etiam faciat Presbyter?* Adduxit autem S. Hieronymus locum illum Apostoli, ut ostenderet Episcopos in Scripturis interdum appellari Presbyteros. sic enim exposuit verba illa: *Per impositionem manuum Presbyterij*, ac si dictum esset, per impositionem manuum, qua Presbyteratum accepisti, cum tamen constet, Timotheum non Presbyterum simplicem, sed Episcopum fuisse; quo modo etiam exposuit Anselmus, & quidam alij Latini, & ipse etiam Calvinus lib. 4. Instit. cap. 3. extremo. Quamquam nobis verior videtur Græcorum expositio, qui nomine Presbyterij intelligunt chorum, siue cœtum Presbyterorum, id est, Episcoporum, qui nouo Episcopo manus imponunt; sic enim exponunt Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius.

**QVINTA** obiectio ex ca. 20. Actor. vbi B. Paulus mittens Ephesum, vocauit ad se maiores natu Ecclesiæ, id est, Presbyteros, & tamen dum eos alloquitur, Episcopos appellat, dicens: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Item ex cap. 5. prioris epistolæ B. Petri, vbi Petrus Presbyteros sic alloquitur: *Seniores, qui in vobis sunt, obsecro cōsenior & testis Christi passionum, &c. Pascite, qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, &c.* Vbi illud *Seniores* in Græco textu est *πρωτοπρεσβυτερος*, illud autem *Prouidentes*, in Græco est *ἐπινοήσαντες*. Denique ex epist. 2. & 3. S. Ioannis, in quibus Apostolus se Presbyterum vocat, cum sine vlla dubitatione Episcopus fuerit. Sed ad hæc omnia vno verbo responderetur. Nomina eo tempore fuisse communia, & propterea in his omnibus locis veros etiam Episcopos Presbyteros appellari. his addunt Patrum testimonia.

Est igitur **SEXTA** obiectio ex S. Hieronymo, qui in comment. 1. cap. epistolæ ad Titum ita scribit: *Idem est Presbyter*

qui Episcopus, & antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, & disceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Verò Cepha, communi Presbyterorum consilio Ecclesia gubernabantur, postquam Verò unusquisque eos, quos baptizauerat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesia cura pertineret, & schismatum semina tollerentur. Et infra: Sicut ergo Presbyteri sciunt se ex Ecclesia consuetudine, ei, qui sibi prapositus fuerit, esse subiectos, ita Episcopi nouerint se magis consuetudine, quam dispositionis Dominica Veritate Presbyteris esse maiores, & in commune debere Ecclesiam regere. Similia habet idem Hieronymus in epist. 85. ad Euagrium.

Hæc S. Hieronymi verba aliqui piè interpretari conantur, ut S. Thomas, qui in 2. 2. q. 184. artic. 6. scribit, Hieronymum loqui solùm de nominibus Episcopi & Presbyteri, non de ipsa re. At certè verba illa citata: *Communi Presbyterorum consilio Ecclesia gubernabantur.* Et illa: (*Magis consuetudine, quam dispositionis Dominica Veritate Presbyteris esse maiores, &c.*) aliud significant, quàm solam communitatem vocabulorum.

Ioannes Antonius DELPHINVS li. 2. de Ecclesia docet, ex Hieronymi sententia initio nascentis Ecclesiæ omnes Presbyteros fuisse Episcopos. Non quod idem sit Episcopatus & Presbyteratus, sed quod utraq; dignitas omnibus Sacerdotibus primo illo tempore daretur. Deinde autem ad schismata euitanda cœpisse aliquos solùm Presbyteros ordinari, & hoc modo ex Ecclesiæ consuetudine factum esse, ut Episcopi maiores Presbyteris essent.

At hæc etiam solutio non plenè satisfacit; S. enim Hieronymus tueri conatur Presbyterorum dignitatem, qualis erat suo tempore aduersus insolentiam Diaconorum, ut patet ex epistola ad Euagrium; inde autem demonstratur dignitatem Presbyterorum esse maximam, quod eadem sit cum Episcopali: Nihil autem ad hoc probandum afferret, si solùm doceret primos Presbyteros ideo fuisse Episcopis pares, quod haberent etiam Episcopalem potestatem, nec essent simplices Presbyteri. DEINDE, si ideo primi Presbyteri fuissent pares Episcopis, quòd essent etiam ipsi veri Episcopi

scopi; distinctio, quæ ex Hieronymi sententia postea exorta est, inde accidisset, quod aliqui simplicem Presbyteratum in ordinatione postea accepissent. At S. Hieronymus contrarium significat, docet enim Episcopatum esse nouum, & ex Ecclesiæ consuetudine, non simplicem Presbyteratum; sic enim ipse ait: *Communi Presbyterorum consilio Ecclesia gubernabantur. postquam Verò vnusquisq; &c.*

Michaël MEDINA in lib. I. de factorum hominum origine, & continentia, c. 5. affirmat S. Hieronymum idem omnino cum Aërianis sensisse, neq; solum Hieronymum in ea heresi fuisse, sed etiam Ambrosium, Augustinum, Sedulium Primasium, Chrysostomum, Theodoretum, Oecumenium & Theophylactum: *Atq; ita, inquit Medina, isti Viri alioqui sanctissimi, & sanctarum Scripturarum consultissimi; quorū tamen sententiam prius in Aërio, deinde in VValdensibus, postremò in Ioanne VViclefo, damnauit Ecclesia.* Et infra: *Ergo in Hieronymo & Græcis illis Patribus olim propter eorum honorem & reuerentiam hæc sententia aut dissimulabatur, aut tolerabatur in illis: contra in hæreticis, quod in aliis quoque multis ab Ecclesia declinarent, tanquam hæretica semper est damnata.* Hæc ille.

Cæterum hæc Medinae sententia (vt leuissimè dicā) valdè est inconsiderata. Nam PRIMVM iniuriam facit tot clarissimis Patribus, quos sine vlla causa, vt mox ostendam, Aërianos facit. DEINDE iniuriam facit Ecclesiæ, quam acceptio- nis personarum nota inurit. Nam cum omnes citati auctores post Aërium vixerint, cur, quæso, Ecclesia vnā atque eandem sententiā in Aërio damnauit, in Patribus tolerauit? Nōne Aërio potius ignoscendum fuit, qui ante definitionem Ecclesiæ peccasse videbatur, quàm Patribus illis, qui damnatam iam hæresim sequuti sunt? DENIQUE iniuriam facit communi causæ Doctorum Catholicorum. Qua enim fronte sanctos Patres aduersus hæreticos adferemus, si eam sententiam ab Ecclesia damnatam dixerimus, quam omnes ferè Patres, tum Græci, tum Latini docuerunt?

*At (inquit Medina) VValdenses hæretici Hieronymi testimonio stuebantur, idem igitur illi, & Hieronymus senserunt.* Egregium profectò argumentum, hoc modo concludere licebit etiam idem sentire Lutherum, & Paulum; nam Pauli testi-

testi-

testimoniis passim utitur Lutherus. Mentiuntur igitur Waldenses, cum Hieronymum auctorem sequi se dicunt.

SED instat Medina, Aërius non ignorabat, secundum Ecclesiæ leges Episcopum Presbytero esse maiorem, sed iure diuino pares esse affirmabat. Quare cum Hieronymus apertissimè dicat, non Dominicæ dispositionis veritate, sed sola consuetudine Ecclesiastica Episcopos maiores Presbyteris esse, nihil omnino inter Aërij & Hieronymi sententiam interesse videtur.

RESPONDEO, tantum distare Hieronymum ab Aërio, quantum Catholicus ab hæretico, & cælum ab inferis distat. Nam imprimis S. Hieronymus ubique agnoscit Episcopum esse maiorem Presbytero, quantum ad ordinis potestatem, & hoc sine dubio iure diuino, ut patet ex epistola ad Euagrium, ubi sic ait: *Quid facit Episcopus, excepta ordinatione, quod non faciat etiam Presbyter?* At Aërius id discrimen non agnoscebat, ut ex Epiphanio potest intelligi, hæresi 75.

Deinde quantum ad potestatem iurisdictionis, Aërius, etiam Lutherani, & Calvinistæ, non modò negabat iure diuino maiorem esse Episcopum Presbytero, sed etiam contendebat non rectè facere Ecclesiam, quæ Episcopos Presbyteris anteponat. At S. Hieronymus, etsi iure diuino agnoscere non videtur discrimen inter iurisdictionem Episcopi & Presbyteri, tamen agnoscit hoc ipsum discrimen tanquam legitimè, immò & necessariò ad schismata vitanda ab Apostolis introductum. Nò enim vult S. Hieronymus ante paucos annos ex temporum corruptela natum esse Episcoporum principatum, sed ab eo tempore, quo cœpit dici in Ecclesia: *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cepha*, quæ verba Apostoli Pauli sunt 1. Cor. 1. Proinde in ipsis Ecclesiæ primordiis, cum adhuc viuerent Apostoli, in toto orbe ab ipsis Apostolis, Ecclesiarum regentibus, vult S. Hieronymus iurisdictionem Ecclesiasticam ad Episcopos esse delatam. Itaque nihil commune est Aërio & Hieronymo. Neq; vllò modo credibile est, S. Hieronymum Aërij sententiam fuisse sequuturum, quam sciebat iam à sancto Epiphanio refutatam.

Est autem hoc loco obseruandum, S. Hieronymum in illa sua sententia non adedò constantem videri, ut valde probabile



bile sit, eum non omnino certum fuisse: Docuit enim in explicatione capitis primi ad Titum, cōsuetudinem, quæ Episcopos Presbyteris anteposuit, cœpisse ab eo tempore, quo dictū est: *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cepha*, & tamē Presbyteros Episcopis pares esse colligere nititur ex epistola ad Titum, & ad Philipenses, & ex epistolis Petri & Ioannis, quæ scriptæ sunt post epistolam priorem ad Corinthios, ubi illa verba habentur: *Ego sum Pauli, ego Apollo, &c.* Deinde in libro de scriptoribus Ecclesiasticis in Iacobo, dicit Iacobum continuō à Christi ascensione ordinatum Episcopum Hierosolymorum: Non igitur fuit vnquam illud tempus, quo Ecclesiæ sine Episcopis à Presbyteris gubernabantur.

Præterea idem Hieronymus in epistola ad Euagriū, comparat Episcopum Aarōni, Presbyteros filiis Aarōnis, & in epistola ad Marcellam de erroribus Montani, Episcopos Apostolos succedere dicit. At certē Aaron iure diuino maior erat ordine & iurisdictione, filiis suis, & Apostoli omnibus aliis Christi discipulis.

Deniq; in lib. I. aduersus Iouinianum, idem Hieronymus affirmat ab ipso Christo vnum electum ex duodecim, id est, Petrum, *Et capite constituto, schismatum tolleretur occasio.* At si Christus voluit inter ipsos Apostolos vnum eminere, cur non credemus etiam voluisse eum, vt inter Presbyteros vnus emereret? Ac de S. Hieronymo satis, vt etiam de Anselmo & Sedulio, qui in commentario, cap. I. epistolæ ad Titum, ad verbum Hieronymi sententiam retulerunt.

SEPTIMA obiectio sumitur ex Ambrosio, qui in commentario, cap. 4. ad Ephesios ita scribit: *Timotheum Episcopū à se creatum, Presbyterum vocat, quia primi Presbyteri Episcopi appellabantur, et recedente eo, sequēs ei succederet; deniq; apud Aegyptum Presbyteri consignant, si presens non sit Episcopus: sed quia caperunt sequentes Presbyteri indigni inueniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente Concilio, et non ordo, sed meritū crearet Episcopum, multorum sacerdotum iudicio constitutum, &c.*

Sed hic locus non habet difficultatem. Nam (vt interim omittam, commentaria illa non videri ab Ambrosio edita) auctor eorum commentariorum loquitur solū de ratione successionis Episcoporum, ac docet, initio nascentis Ecclesiæ,

liæ,

siæ, antiquissimum Presbyterum consueuisse ordinari Episcopum, eoque mortuo succedere solitum, sine alia electione, antiquissimum item Presbyterum: sed non negat auctor iste primum illum Presbyterum, cum Episcopo succederet, debuisse iterum consecrari, & notam potestatem a iurisdictionem accipere. Neque semel idem auctor clarissime docet, multum interesse inter Episcopum, & Presbyterum; nam in eodem commentario, cap. 4 ad Ephesios sic ait: *In Episcopo omnes ordines sunt, quia primus Sacerdos est, hoc est, Princeps est Sacerdotum.* Et in caput 3. prioris ad Timotheum: *Episcopi, inquit, & Presbyteri vna ordinatio est, vterque enim Sacerdos est, sed Episcopus primus est, si omnis Episcopus Presbyter sit, non tamen omnis Presbyter Episcopus; hic enim Episcopus est, qui inter Presbyteros primus est; denique Timotheum Presbyterum ordinatum significat, sed quia ante se alterum non habebat, Episcopus erat, vnde, & quemadmodum Episcopum ordinet, ostendit: neque enim fas erat, aut licebat, ut inferior ordinaret maiorem; nemo enim tribuit quod non accipit.* Hæc ille. Vbi vides maiorem esse Episcopum Presbytero, & ideo à Presbytero Episcopum ordinari non posse, quod Presbyter non habeat Episcopalem ordinationem.

**O**CTAVA obiectio ex Chrysofomo in commentario, cap. 3. prioris ad Timotheum, vbi sic legimus hom. 11. *Inter Episcopum atque Presbyterum interest ferè nihil, quippe & Presbyteris Ecclesia cura permissa est, & quæ de Episcopis dicitur, ea etiam Presbyteris congruunt: sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plusquam Presbyteri habere videntur.* Idem docent, & verbis ferè iisdem, Primasius, Theophylactus, & Occumenius, in commentario eiusdem loci.

**R**ESPONDEO, ex istis ipsis verbis aperte colligi, maiores esse Episcopos Presbyteris, cum Episcopi ordinare possint, Presbyteri non possint, ut actores citati vna voce testantur.

At, inquit, saltem quoad iurisdictionem pares sunt Episcopis Presbyteri, quandoquidè nihil habent Episcopi, quod Presbyteri non habeant, excepta ordinatione. **R**ESPONDEO, hos auctores cum nihil tribuunt Episcopo, quod non sit cum Presbyteris commune, excepta ordinatione, loqui

de iis rebus, quæ nullo modo Presbyteris conueniunt; tale autem nihil est, nisi ordinatio præcipuè Sacerdotum. Nam potestas iurisdictionis, ex commissione Episcopi, potest etiã Presbyteris copuenire, immò etiam confirmare baptizatos possunt Presbyteri ex dispensatione. At ordinatio Sacerdotum ita propria Episcoporum est, vt nullo modo Presbyteris permitti possit.

Quod autem Chryostomus senserit, Apostolorum tempore Episcopum à Presbytero distinctum fuisse colligitur etiam ex homil. i. in epistolam ad Philipenses, vbi exponens illud, cum Episcopis, & Diaconibus: *Quid, inquit, hoc sibi vult? itane vnius ciuitatis plures erant Episcopi? Nequaquã; sed hoc titulo designat Presbyteros, tunc enim temporis adhuc vocabulum erat commune.*

**NONA** obiectio ex Theodoro, qui in cõmentario, cap. 1. ad Philipenses aliquoties reperit, Presbyteros fuisse, quos Paulus Episcopos appellat. Sed hoc iam antea explicatum est; Theodoretus enim docet quidem, olim Presbyteros Episcoporum nomen habuisse: sed ibidem addit veros Episcopos nomine Apostolorum, eo tempore appellari solitos, ita vt semper & re & nomine maiores fuerint Episcopi Presbyteris, ex sententia Theodoret. Quare idem auctor in caput tertium prioris ad Timotheum ita scribit: *Sed tamen, etiã se Presbyteris has leges constituit diuinus Apostolus, clarum est, quod has leges oportet primos seruare Episcopos, vt qui sint maiorem dignitatem assequuti.*

**DECIMA** obiectio ex Augustino qui in epist. 19. ad Hieronymum, sic ait: *Quamuis enim secundum honorum vocabula, quæ iam Ecclesia & sus obtinuit, Episcopatus Presbyterio maior sit, in multis rebus tamen Augustinus Hieronymo minor est.*

**RESPONDEO**, illud (*Iam obtinuit*) non opponi tempori antiquo ipsius Ecclesie, sed tempori quod fuit ante exortum Ecclesie nostræ Christianæ: Itaque non est sensus, olim Episcopi, & Presbyteri erant æquales, sed iam vsus obtinuit, vt Episcopatus Presbyterio maior sit; sed hic est sensus; Ante Christiana tempora, nomina ista Episcopus & Presbyter nõ erant honoris vocabula, sed officij, aut ætatis, nunc autem honoris ac dignitatis nomina sunt, & secundum hæc nomi-

na Augustinus Hieronymo maior est, quamuis aliis multis nominibus Augustinus Hieronymo minor sit.

**VNDECIMA** obiectio; Presbyteri succedunt Apostolis non minùs quàm Episcopi, vt patet ex Clemente lib. 2. constit. cap. 32. & Ignatio in epistola ad Smyrneses: Non igitur sunt Presbyteri Episcopis inferiores.

**RESPONDEO**, Episcopos & Presbyteros variis modis à Patribus comparari, sed semper seruata proportione, & distinctione. Aliquando dicunt Episcopum tenere locum Dei, Presbyterum locum Christi, Diaconum locum Apostolorum. Ita Clemens lib. 2. constit. cap. 30. & Ignatius in epistola ad Trallianos. Aliquando Episcopo dant locum Christi, Presbyteris locum Apostolorum, Diaconis locum Discipulorum LXXII. Ita Clemens loco citato lib. 2. cap. 32. & Ignatius ad Smyrneses. Aliquando Episcopis dant locum Apostolorum, Presbyteris locum LXXII. discipulorum, vt Patres suprâ citati.

**DVODECIMA** obiectio; Christus Presbyteros ordinauit in cœna, vt Catholici omnes docent: at Episcopos nusquam legitur ordinasse: Non igitur Episcopatus iure diuino est introductus. **RESPONDEO**, à Christo B. Petrum ordinatum fuisse Episcopum, à B. Petro Iacobum & Ioannem, ab his tribus ceteros Apostolos, vt in lib. 1. de summo Pontifice supra ostendimus.

## CAPVT XVI.

### De Cardinalibus.

**D**E Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ pauca quedam addenda sunt, vt Ioanni Caluino etiam de hoc ordine Clericorum breuiter respondeamus. Dicemus autem **PRIMO**, de antiquitate, & significatione nominis Cardinalium. **SECUNDO**, de antiquitate, & varietate officij Cardinalium. **TERTIO**, de comparatione Cardinalium cum Episcopis: Hæc enim tria Caluinus attingit lib. 4. Instit. cap. 7. §. 30.

Si quis autem plura cognoscere velit, legat ex Theologis Aluarum Pelagium lib. 2. de planctu Ecclesiæ, art. 16. Augustinum